



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 14. Aristotelis non videri ita accipiendum, vt Victorius censuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Verbum διαψεύδου, quodam loco è secundo Rhetoricorum Aristotelis non videri ita accipiendum vt Victorius censuit.

CAPVT XIII.

TRIA omninò sunt quæ efficiunt, vt ij qui consilium dant, digni iudicentur quibus credamus. quosque duces in rebus suscipiendis ac gerendis sequamur: prudentia, probitas, & beneuolentia est. nos. horum trium si quid abfuerit, non satis tutum est, eorum consilio fidere. nam & qui tum bonus tum erit, tum amicus nobis, si idem parum prudens ac consideratus fuerit, falsus ipse, nos fallet. & qui callidus atque acutus est, si aut improbus sit, aut male animatus in nos in fraudem inducet potius, quam bono & vtili consilio adiuuet. etiam si qui & prudens est, & vir bonus, nisi beneuolentia nos aliqua complectatur, non valdè laborabit, quid nobis futurum sit. itaque dabit quidem ille nobis consilium bonum, & sine fallacia: sed tamen non ita cogitatè, vt aliqua nobis cum ipso esset coniunctio. quare potest fallere. quòd si etiam inimicus sit: numquam factus nobis auctor erit, vt id faciamus, quod ipse nobis optimum fore cognoscet. tria illa in quo inerunt, neque volet fallere, & vix poterit falli. Hoc Aristoteles libro secundo Rhetoricorum his verbis docuit. Τὸ μὲν οὖν αὐτὸς ἐστὶ πρὸς τὰς λέγοντας, τρία δὲ τὰ αὐτὰ ποσῶτα γὰρ ἔστι, δι' ἃ προσδίδομεν, ἕξω ἧστ' ἀποδείξω. εἰς ταῦτα, φρόνησις, καὶ ἀρετὴ, καὶ εὐνοία. Διαψεύδου δ' ἂν οὐ λέγουσι, ἢ συμβουλεύουσιν, ἢ διὰ πάντα ταῦτα, ἢ διὰ τὰς ἀρετὰς ἢ γὰρ δι' ἀφροσύνην ἐκ δόξης δόξαζουσιν, ἢ δόξαζοντες ἄλλοι διὰ μοχθηρίαν ἢ τὰ δοκοῦντα λέγουσιν, ἢ φρόνημοι μὲν, καὶ ἀρετῆς κείνης εἰσιν, ἀλλ' ἐκ εὐνοίας. διὰπερὶ ἐνδέχεται μὲν τὰ εἰρησυχίαν συμβουλεύουσιν.

Handwritten scribbles in red ink on the left margin.

ἐπιλαμβάνει γινώσκοντας. ἢ παρὰ τὰυτὰ ἐδέν. quibus in
 verbis Petrus Victorius illud διαψεύδου, exponit, la-
 buntur, ac decipiuntur: & probat, id verbum interdum
 eo sensu capi, probato alio quodam Aristotelis loco.
 Ego autem, vt probes, verbum πολύσημον hoc aut illo
 modo accipi, non puto hoc satis esse, si doceas, etiam
 alibi eam vim habere. videndum illud quoque arbi-
 tror, ea quam afferas, interpretatio ei loco, quem de-
 clares, conueniat ne an minus. nam si in illo versu,

Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro

Ingemere: dicerem, taurum esse secundum signum
 Zodiaci: non eo minus errarem, si ostenderem, eam
 vocem id valere in illo,

Candidus auratis aperit cum cornibus annum

Taurus.

Quoniam igitur διαψεύδου interdum valet idem
 quod labi ac decipi: tamen qui in eo quem recitanti,
 loco ita exponat, labi ipsum ac decipi puto. nam is qui
 cognoscens quid sit optimum factu, nihilo minus aut
 malitia, aut odio ductus, aliud suadet, διαψεύδει ex
 Aristotelis sententia: neque tamen labitur ac decipi-
 tur; sed fallit ac decipit. ergo præstare arbitror, vt δια-
 ψεύδου, exponamus, *fallunt*. quod si quis obiciat,
 id verbum hoc sensu non conuenire in eum qui vir
 bonus amicusque sit, sed per imprudentiam inutile
 consilium det; huic ego respondeo, fallere dici non-
 numquam etiam illos qui sine vlla mala, vt ait Plau-
 tus, malitia, in errorem inducunt eos quibuscum
 agunt. Non enim vetus illud iusiurandum, ita concipi
 voluissent, Si sciens fallo: nisi etiam inscientem
 posse fallere iudicassent.

O 3

Quid

at. Mureti
 ia. Lectiones
 LIII
 28